

Filia Phœnicis, tum virgo, Europa videbat
 Terrarum geminas pro se contendere partes,
 Asidaque, oppositamque os virginis utraque habebat;
 Una peregrinæ similis tamen, altera formæ
 Indigenæ, natamque suam sibi jure petebat
 Hæc potiore; a se genitam memorabat, & annis
 Nutritam a teneris. at fortior illa sequentem
 Hinc validis atque hinc manibus complexa trahebat:
 Scilicet Europen, fatorum lege suprema,
 Ab Jove promissam dicens, sibi munus ut esset.

Nympha metu perculta extemplo prosilit alto
 E thalamo; veras ut res nam somnia vidi,
 Tum trepidans, tum muta diu consedit: utramque
 Effigiem vigilans præsenti in imagine cernit,
 Ut vero attonitæ longo post tempore cessit
 Ille stupor, virgo sic fata. quis o mihi divum
 Obtulit hæc visa, aut quænam hæc me somnia terrent
 Suaviter irriguo perfusam membra sopore?
 Quæ fuit, in somnis quam vidi, illa hospita? quam cor
 Perculit ejus amor; quanto suscepit & ipsa
 Me studio! blandis ceu gnatam aspexit ocellis.
 O mihi jam faciles bene vertant somnia divi.

Sic ait; & socias surgens compellat amatas,
 Unanimes, ætate pares, & sanguine claras;
 Cum quibus illa jocos semper miscebat, iniret
 Seu choreas, puro ablueret seu corpus Anauro,
 Candida odoratis legeret seu lilia campis.
 Convenere citæ: stant florigeri calathisci
 In manibus, celerique petunt pede roscida prata,
 Prata mari vicina, simul quæ semper adibant
 Et florum studio captæ & resonantibus undis.
 In mediis calathum incedens Europa ferebat